

primis, quod ex tali argumento a sensu contrario absurdum, vel inconueniens, non sequatur. Card. Tuschus, litt. A. concl. 498. n. 119. Layman, c. *Si alicujus*. 59. n. 6. et 7. de *Election*. Barbosa, loco 27. A contrario sensu, n. 34 et 35 citans alios.

408. *Nec jurium correctio*. — Requiritur ulterius, quod exinde non resultet jurium correctio. Nam quando de opposito ejus, quod per tale argumentum a sensu contrario infertur, extat clara decisio juris, argumentum non procedit, sed standum est dispositioni juris in oppositum; jurium enim correctio, veluti odiosa, pro possibili est vitanda, neque inducenda per tacitos et subinauditos intellectus. Facit huc textus in l. *Cum patrem familias*. C. de *Condition. incertis*, juncto summario ibid. Et Glossa in c. *Significasti*. vers. *Clerici. de Foro competent.* dicens: «Argumentum a sensu contrario non habet locum, cum alia jura contradicunt.» Item Everardus in loco a contrario: «Non concludit argumentum a sensu contrario, quando ex eo resultat jurium correctio.» Fagnanus in c. *Nullus*. num. 8. de *Foro compet.* Card. Tuschus, loc. cit. num. 103. et 111. et Barbosa, n. 30. et seq. cum aliis, qui rite hoc intelligunt non solum, quando ex tali argumento induceretur jurium correctio, sed etiam correctio alterius statuti, vel partis instrumenti, v. g. testamenti.

409. *Simulque argumentum non desumatur ex verbis narrativis, aut exemplificativis tantum, sed ex causativis dispositionis*. — Tertio ad hoc, ut argumentum a sensu contrario in jure sit validum, requiritur, quod desumatur ex aliquo eorum, quæ in dispositione ponuntur causative, id est, ut principaliter moventia ad disponendum: secus, ubi aliquid ponitur narrative, exemplificative, seu modaliter, quia tunc inde non capitur argumentum a sensu contrario. Abbas Panormit. c. *Publicato*. n. 6. de *Election*. Layman, loc. cit. Barbosa, ubi supra, n. 36. post Everardum, loco 4. Decium, consil. 32. num. 12. vol. II. et alios. Nam, ut generaliter tradit Glossa marginalis in l. I. c. *Quando non petentium*, etc. ex verbis narrativis facti non est licitum arguere.

410. VIII. *Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio*. — Regula VIII. Ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio. Barbosa, *Axiom.* 197. n. 3. citans alios quamplures. Intellige, quando est eadem ratio, seu causa finalis adæquata, sive apparente disparitate:

alioquin enim diversitas rationis, diversitatem quoque juris inducit, l. ult. c. de *Ritu nupt.*, cum similibus.

411. *Idque probatur multipliciter*. — Fundatur hæc regula in l. *Ideo*, ff. de *Legib.* ibi: «Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas et ad eas pertineant, quæ quandoque similes erunt.» Et l. *Non possunt*. ff. eodem ubi generaliter dicitur: «Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus, aut jurisconsulto comprehendi; sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.» Hinc Glossa in l. *Illud* ff. *Ad legem Aquiliam*, ait: «Ubi eadem ratio est, ibi idem jus esse debet.» Sive, ut habet summarium citatæ legis: «Casus, quos nec tit paritas æquitatis, et indentitas rationis, non sunt quoad juris dispositionem separandi.» Concordat jus canonicum in c. *Inter corporalia. de Translat. episcop.* ibi: «Propter expressam tamen similitudinem, vel potius identitatem, » etc. Et mox infra: «Cum de similibus idem judicium sit habendum, » cum concordantiis. Confirmatur. Quia ratio legis, est anima legis, juxta dicta n. 388. ergo etiam, ubicumque locum habet ratio legis, etiam lex ipsa locum habere debet.

412. *Nec tunc fit extensio legis sed magis declaratio*. — Quinimo, ubi adest eadem ratio, proprie non dicitur fieri extensio legis, sed magis declaratio: quia ex mente legis comprehenditur omnis casus, in quo concurrat illa ratio. Glossa cap. i. vers. *Italiae de Temporib.*, ordinat. in 6. Abbas c. *Nihil est*, n. 9. de *Election*. Alexander, consil. 129. n. 5. lib. VII. ubi post Baldum l. *Quamvis*. C. de *Fideicommiss.* inquit, quod, ubi ratio scripta est in statuto aliquo, sub tali statuto comprehenditur alius casus, cui convenit dicta ratio statuti; et non dicitur tunc interpretatio extensiva, sed intellectiva. Menochius, consil. 324. num. 10. Farinacius, part. I. *Fragment.* litt. E. num. 52. Barbosa, *Axiomat.* 197. n. 8. asserens, quod ubi est eadem ratio, dicatur adesse eadem lex, non extensive, sed comprehensive: et alii ab his citati.

413. IX. *De similibus idem est judicium. Declaratur*. — Regula IX. De similibus idem est judicium: c. *Translat.* et ibi Abbas n. 3. de *Constitut.* etc. *Inter corporalia. de Translat. episcop.* et l. *Non possunt*. ff. de *Legib.* et § *Recte, institut. mandati*, cum concordantiis.

Hoc tamen dictum ut procedat, oportet, quod similitudo sit in eo puncto, de quo agitur, l. I. c. *Collationib.* Jason l. *Creditori*. n. 8. ff. de *novi oper. nuntiati*. Menochius, de *Arbitrar. judic.*, lib. I. casu 84. n. 6. cum aliis. Non est autem necesse, ut similitudo sit quoad omnia, sed satis est, quod adsit similitudo in eo, ad quod fit comparatio, c. *Cum dilecta*. § *Nos igitur de confirmat. util.* ibi: «Ejusdem æquitatis similitudine provocati.» juncta Glossa ibidem, et notat Abbas d. n. 3. Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.*, casu 84. n. 6. Farinacius part. I. *Fragment. crimin.* litt. E. n. 196. et alii.

414. *Argumentum a simili est fragile, si datur vel parva dissimilitudo, seu diversa ratio decidendi*. — Igitur præfata Regula, atque argumentum a simili, non procedit, quando potest reperiri dissimilitudo aliqua in eo puncto, de quo agitur, can. *Nunquam*. ff. *Cum ergo*. l. q. Federicus de Senis consil. 67. § *Sed non est dubium*. card. Tuschus, litt. A. Concl. 501. n. 17. et alii. Unde argumentum a simili est fragile, leve, ac infirmum, quoties vel parva dissimilitudo, seu diversa decidendi ratio, potest assignari. Barbosa, in loco 101. n. 7. et 8. Atque, ut dici solet, argumentum sumptum a simili facile prosternitur, una adducta dissimilitudine. Menochius, consil. 75. n. 82. et doctores in c. *Translatio de Const.* ac Everardus, in Cent. legal. *Loco a simili*.

415. X. *In omnibus causis potior debet esse ratio æquitati, quam strictis juris*. — Regula X. In omnibus causis potior debet esse ratio æquitati, quam stricti juris. Desumitur hæc Regula ex l. *Placuit*. C. de *Judiciis* ibi: «Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti juris rationem.» Et l. *In omnibus* ff. de *reg. juris*. ibi: «In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est.» Et l. *Quod si Ephesi*. § *Interdum*. ff. de *eo, quod certo loco*, etc. ibi: «In summa æquitatem ante oculos habere debet judex, » Qui textus quotidie allegatur ad hoc, quod judex debeat habere æquitatem ante oculos: et idem habetur in c. *Ex parte 13. de Offic. deleg.* ibi: «Et in causa juxta juris æquitatem procedere.» Unde ubi sunt diversæ opiniones, semper opinio magis æqua attendi debet: et si verba legis, vel alterius dispositionis, v. g. testamenti, non repugnant, amplecti. l. *Qui filium*. § *Imperatores*. ff. Ad S. C. Trebellian. card. Tuschus, litt. E. concl. 312. n.

3. Et pariter, si salva ratione recti sermonis lex aliqua ex bono et æquo interpretationem recipere possit, ea est amplectenda; idque maxime in pœnalibus, et odiosis, in quibus semper benigna est interpretatio facienda, juxta reg. 49. juris in 6. ibi: «In pœnis benignior est interpretatio facienda, » cum concordantiis.

416. *Quod intelligendum de æquitate scripta, et non cerebrina*. — Notant tamen doctores, ut Jason in d. § *Interdum*, n. 5. ff. de *eo quod certo loco*, etc. card. Tuschus loc. cit. n. 16. Barbosa *Axiom.* 15. n. 1. et 3. cum aliis, allegatam regulam esse intelligendam de æquitate scripta, sive (ut loquitur Abbas in d. c. *Ex parte 13. n. 3. de Offic. delegat.* et post ipsum Jason) de æquitate a jure informatam, quæ nimirum ex jure colligi potest, non autem de æquitate cerebrina, seu quæ ex proprio capite judicis desumitur. Hæc enim non præfertur rigori scripto: æquitas enim cerebrina ex proprio capite judicis deprompta, non potest dici æquitas, sed iniquitas, quando deviat ab eo, quod veluti justum, et æquum, per leges constitutum est; cum lex sit fundata super ratione et æquitate, c. *Erit. autem*. dist. 4. Atque ideo, quia judex præ oculis habere debet æquitatem juris seu scriptam, et a jure informatam, ipse non debet esse clementior lege, Auth. de *judiciis*. § *Oportet*. collat. 6. Abbas, Jason, et alii, ubi supra.

417. *Deficiente æquitate scripta, locus est æquitati non scriptæ*. — Quod tamen deficiat æquitas scripta, et in jure circa aliquod nihil habeatur expressum, tunc locus erit æquitati non scriptæ, et secundum quod judex æquum et justum esse censuerit. Textus est in cap. ult. de *Transact.* ibi: «In his vero, super quibus jus non invenitur expressum, procedas (æquitatem servata) semper in humaniorem partem declinando: secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare.» Hæc ibi. Ubi Glossa, vers. *Æquitatem*, solvens contraria, inquit, quod æquitas scripta præfertur rigori juris, l. *Placuit*. C. de *Judic.*; at vero textus allegatus intelligatur de æquitate non scripta, quæ tunc solum servanda est, cum deficit jus.

418. *Æquitas, quid?* — Cæterum *Æquitas* est justitia, dulcore misericordiæ temperata; ut definit sanctus Cyprianus, quem refert Abbas cit. cap. ult. n. 7. de *Transact.* sive, *Æquitas* est quædam factorum convenientia.

et rectitudo iudicii naturalem sequens ratio-
nem. Baldus. in l. *Omnes populi*. n. 49. ff. de
Justit. et jur. Barbosa d. *Axiomat.* 45. nu-
mer. 5.

§ XVII.

DE REGULIS IN INTERPRETATIONE LEGUM CORRI-
GENTIUM, EXORBITANTIUM, PŒNALIUM, SEU
ODIOSARUM, ATQUE FAVORABILIUM OBSERVANDIS.

419. XI. *Non censetur plus de priori lege
mutatum, quam est expressum in posteriori.* —
Regula XI Non censetur plus de priori lege
mutatum, quam est expressum in posteriori.
Desumitur hoc ex l. *Præcipimus*. C. de *Ap-
pellat.* ibi: « Quidquid autem hac lege spe-
cialiter non videtur expressum, id veterum
legum, constitutionumque regulis omnes re-
lictum intelligant. » Ad idem facit textus l.
Si vero § *De viro*. ff. *Solutio matrim.* ubi sum-
marium ex Bartolo sic habet: « Provisio le-
gis contra jus commune non extenditur ultra
illud, quod lex exprimit, licet eadem sit ra-
tio. » Idem confirmatur ex eo: quia correc-
tio legum, utpote odiosa non facile est præ-
sumenda: simulque « expedit concordare
jura juribus, et eorum correctiones (si susti-
neri valeant) evitari, » ut dicitur in c. *Cum
expediat*, 29. de *Elect.*, in § 6. Et merito, ne
alioquin jura, tot vigilis fabricata, unico
verbo tollantur, et quidem adhuc dubio, ne-
que istud exprimente, c. *Ecclesia vestra*, 57.
de *Elect.*

420. *Lex nova generaliter loquens distingui-
tur secundum leges antiquas speciales. Idemque
dicendum de statutis.* — Inferitur proinde cum
Glossa § *Sed hodie*. vers. *Pro qualitate*. Instit. de
Satisfatione. et alia Glossa l. *sciendum*. vers. *Non
compelli*. ubi Jason, num. 4. et 5. Bartolus
et alii ff. *Qui satisfacere cogantur*, quod lex
nova, quantumcumque generaliter et indis-
tincte loquens, tamen debeat intelligi, ac dis-
tingui secundum leges antiquas speciales: et
similiter, quod lex nova generaliter corri-
gens, non intelligatur corrigere leges, quæ
in casibus specialibus loquuntur. Atque id
ipsum etiam esse notandum, et observandum
in statutis, et reformationibus noviter factis,
adeo, quod semper eorum interpretatio ita
habeat fieri, ne sequentia corrigant præce-
dentia, si his expresse non contradicant,
præter Bartolum, et Jasonem, ubi supra,
tradit card. Tuschus, litt. I. conclus. 330 n.
24. Barbosa *Axiomat.* 60. n. 2. citans insuper

Romanum consil. 392. n. 23. Verum de ma-
teria præsentis regulæ, ac fallentis ejus
plura inferius § 49. agendo « De revocatione
legum seu Constitutionum, » præsertim a
numer. 491, et num. 500 et seqq.

421. XII. *Leges exorbitantes a jure com-
muni sunt stricte interpretationis, nec produ-
cende ad consequentiam.* — Regula XII. Leges
exorbitantes a jure communi sunt stricte in-
terpretationis, neque producende ad conse-
quentiam. Patet hoc ex reg. 28. juris in 6.
ibi: « Quæ a jure communi exorbitant, nequa-
quam ad consequentiam sunt trahenda. » Et
reg. 78. eod. in 6. « Quod alicui gratiose
conceditur, trahi non debet ab aliis in exem-
plum, » cum concordantiis. Hinc c. *Is qui,
de Filiis presbyt.* in 6. inquit Pontifex: « Præ-
textu dispensationis hujusmodi, quam exor-
bitantem a jure oportet veluti odiosam res-
tringi. » Quibus verbis etiam hujus regulæ
ratio redditur; quia nempe ea, quæ a jure
communi exorbitant, censentur odiosa. Unde
Fagnanus in c. *Cum ad nostram*. n. 29. de
Elect. post Glossam. in c. *Constitutionem*,
vers. *Prorogamus*. de *Regularib.* in 6. et Bar-
tolus in extravag. *Qui stat rebelles*. § *Tran-
sit*. n. 3. sic. ait: « Extensio non fit de casu
ad casum, etiam ex identitate rationis, in his,
quæ exorbitant a jure communi. » Concor-
dat l. *Si vero*, § *De viro*. ff. *Solutio matrim.*

422. *Limitatur in æquiparatis.* — Limitatur
hæc regula primo in æquiparatis. Quia enim
æquiparatorum eadem est dispositio, arg. l.
1. ff. de *Legatis* I. et notat Glossa c. *Si post-
quam*. vers. *Provisione de Electione*. in 6.
Hinc regulariter fit extensio de uno æquipa-
ratio ad aliud, etiam in pœnabilibus exorbitan-
tibus et correctoriis. Abbas, lib. I. consil. 75.
n. 6, allegans textum c. *Quamvis* juncta
Glossa n. de *Electione*. in 6. et l. *Qui filiabus*.
ff. de *Legatis* I. card. Tuschus, litt. E. concl.
308. n. 5. Barbosa, *Axiomat.* 44. per totum
citans alios.

423. *Et ob identitatem rationis in lege ex-
pressæ.* — Limitatur ulterius ob identitatem
rationis in lege expressæ, juxta amplius di-
cenda num. 429. et seqq. ac tradit Farina-
cius part. I. *Fragment.*, litt. E. n. 127. et 128.
Ubi nu. 120 et 126. addit, quod extensio in
exorbitantibus facilius admittitur, quam in
correctoriis: nam « Exorbitans dispositio, »
dicitur illa, quæ non in totum, sed in aliquo,
jus commune corrigit: at vero *Corrigens*
appellatur, quando illud in totum corrigit:
Et hinc non mirum, quod ius correctorium

difficilius extendatur, quam jus exorbitans,
arg. c. *Auditis*, juncta Glossa vers. *Jure mi-
noris*. De in integrum restitut.

424. — *Ac ubi agitur favore publicæ utili-
tatis.* — Limitatur tertio in illis ubi agitur de
favore publicæ utilitatis, arg. l. *Cætera*, §
Sed et si quis. ff. de *Legatis* I. Alexander consil.
216. num. 38 lib. II. post Bartolum,
Imolam, et alios. Card. Tuschus, litt. E. concl.
665. n. 7. Farinacius, loc. cit. n. 81. post
Everardum, in loco *A ratione legis larga*. n.
51 et alios.

425. *Item ob favorem animæ, seu causæ piæ.*
— Limitatur rursus data regula ob favorem
animæ seu causæ piæ. Siquidem, quod fiat
extensio etiam in exorbitantibus favore ani-
mæ, nec non favore causæ piæ, ut puta fa-
vore religionis, seu favore relictorum pro
anima defuncti, pluribus auctoritatibus firmat
Farinacius, loc. cit. numer. 108 et 109.

426. *Et ratione evitandi absurdi. Exorbi-
tans, et corrigens dispositio, quæ?* — Limita-
tur etiam ratione evitandi absurdi. Nam,
quod fiat extensio, ubicumque ea non facta
resultaret absurdum, v. g. quod durius age-
retur cum ecclesiis, vel ecclesiasticis personis,
contra cap. 1. de *Dolo et contum.* cum concor-
dantiis, tenet Alexander d. consil. 216. n.
37. atque desumitur ex l. *Servius*. ff. *Quod
vi aut clam*. ubi similis fit extensio, « ne me-
lioris conditionis sint stulti, quam periti, »
prout loquitur textus. Huc servata propor-
tione possunt addi quædam aliæ limitationes,
quæ infra num. 508. et seqq. afferentur lo-
quendo « De revocatione legum, » harumque
correctione. (ADNOTATIO XXI).

427. XIII. *Lex pœnalis, et omnis alia odiosa
in dubio est stricte interpretanda.* — Re-
gula XIII. Lex pœnalis, et omnis alia odiosa,
in dubio stricte interpretanda est, nec regu-
lariter extendenda ultra casum, et personas
expressas. Constat hæc regula ex l. 42. ff.
de *pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ
molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. »
Concordat regula 49. de *Reg. Jur.* in 6. ibi:
« In pœnis benignior interpretatio est fa-
cienda: » juncta regula 15. eod. « Odia res-
tringi, et favores conveniunt ampliari, » cum
concordantiis.

428. *Secus, si verba ejus sint clara. Pœnæ
quomodo sint æstimandæ, ac temperandæ.* —
Dicitur notanter primo, in dubio. Quia si verba
legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque
mens adeo clara sunt, ut salva ratione recti
sermonis non possint aliam interpretationem

habere, lex illa erit observanda; prout de-
sumitur ex l. *Prospexit*. ff. *Qui, et a quibus
manumissi*, etc. ibi: « Quod quidem per quam
durum est, sed ita lex scripta est. » Quamvis
etiam circa hoc debeat bene notari illud,
quod habetur l. *Pedius*, ff. de *Incendio, ruinas
naufrag.* ibi: « Et omnino, ut in cæteris, ita in
hujusmodi causis, ex personarum conditione,
et rerum qualitate, diligenter pœnæ sunt æsti-
mandæ; ne quid aut durius, aut remissius
constituatur, quam causa postulabit. » Con-
cordat alius elegans textus in l. *Respicendum*.
ff. de *Pœnis*, ubi notabili doctrina iudicibus
data, quomodo in causis criminalibus proce-
dere debeant, subjungitur: « Plane in levio-
ribus causis proniores ad lenitatem iudices
esse debent: in gravioribus pœnis severita-
tem legum cum aliquo temperamento be-
nignitatis subsequi. »

429. *Fallit regula ob identitatem rationis in
lege expressæ.* — Dicitur ulterius. « Nec regu-
lariter extendenda ultra casum, et personas
expressas. » Quia, licet hujusmodi extensio
regulariter, ac ordinarie non sit facienda in
materia odiosa et pœnali, sicut nec in iis, quæ
exorbitant a jure communi, ut proxime dic-
tum: nihilominus ista regula fallit inter alia
ob identitatem rationis in lege expressæ. Si-
quidem extensio legis non tantum favorabilis,
sed etiam odiosæ, aut pœnalis, ob adæquatæ
rationis in lege expressæ similitudinem, seu
identitatem, tam intra, quam extra judicium,
recte fieri potest, ac debet: uti notavit Abbas
Panormit. lib. I. consil. 75. n. 6. generaliter
docens, quod ubi locum habet mens et ratio
legis, debeat habere locum ipsa lex, sive sit
pœnalis, sive correctiva: regulatur enim lex a
ratione, et mente legis, quæ idem est, ac ra-
tio legis, ut loquitur Dynus, in reg. *Certum
est*. n. 12. de *reg. jur.* in 6. sicut regulatur
corpus ab anima. Idem docet Everardus in
loco, *A ratione legis larga*, n. 45. card. Tus-
chus litt. E. concl. 665. ubi cum pro conclu-
sione statuisset, regulariter odiosa et exor-
bitantia, seu ea, quæ sunt stricti juris, non
extendi, c. *Odia*. etc. *Quæ a jure*. de *reg. jur.*,
in 6. protinus inter alia num. 4. hoc limitat,
quando ratio est expressa: quia ubicumque
militat eadem ratio, etiam fit extensio ad
casus non expressos. Alexander, lib. II. con-
sil. 216. n. 33. post Glossam in Clem. 2. §.
Eligatur de Electione. et alios.

430. *Declaratur hoc exemplis.* — Idem de-
claratur exemplis. Sic quippe in c. *Si post-
quam*, 33. § *Si vero*, de *Elect.* in 6. Constitutio